

Partitio I.

Quid sit causa, & causalitas? & de causarum numero.

Num. 1.
Quid sit
causa?

PAUCIS hæc tria minutiora sunt explicanda, vt. pote non ita magni momenti: Circa primum prius videndum est, quid nominis, quam quid rei: Volunt nonnulli nomen causæ à casu deriuatum eò quòd existimarent antiqui omnia casu & fortuito euenire: alij deducunt à chaos, ex eo quod ex illa rudi & informi mole, omnia sint deducta, alij à cauendo, eò quòd causa caueat ne quid non sit: melius tamen Grammatici volunt nomen causæ non esse deriuatum, sed primitiuum, quod Græcè dicitur *καυατος*, quod est ardor, quia homines nil tam ardentem appetunt, quam scire causam cuiuscunque rei, quæ sumptio videtur esse magis ad propositum.

Porrò nomen causæ apud Aristotelem aliquando latius, aliquando strictius sumitur; latius vt. *Metaph.* dum dicit priuationem esse causam; ibi enim nomen *causæ* sumit pro nomine principij. Strictius verò, quam par sit causam usurpat D. Aug. *lib. 83. questionum*, vbi dicit solam causam efficientem esse veram causam: medio autem modo sumitur hic causa, & maxime proprie, non simpliciter prout est principium, sed prout est tale principium, nempe influens in effectum per veram dependentiam effectus ab ipsa. Viso quid nominis, inuestigandum est quid rei, quid verò sit causa non melius dignoscitur, quam afferendo eius definitionem. At triplex solet afferri causæ definitio prima est, quæ causa dicitur, *id. ad cuius esse aliud sequitur.* Secunda quæ dicitur *id.* propter quod aliqua fit. Tertia, quæ dicitur principium per se influens esse in aliud.

Explicitur
definitio
causæ.

Prima definitio non ita videtur propria, quia videtur etiam conuenire priuationi, quæ tamen non est verè causa. Item nec secunda videtur esse legitima, quia de ratione bonæ definitionis est, vt ignotum per notius pateat: At in illa definitione ignotum per ignotius explicatur; nam ignotius est propter quod aliquid fit, quam quid sit causa; Quare restabit solum tertia definitio, vt magis vera, in qua nomen principij locum generis tenet, ceteræ particulæ locum differentie: dicitur esse principium per se influens, vt remouetur casus, & fortuna, quæ duo non sunt veræ causæ, quia per se non influunt, sed per accidens. Dicitur influens, vt addat aliquid supra principium, vbi notandum est effectum debere numero distingui à sua causa: & cum Filius in diuinis non habeat essentiam numero distinctam ab essentia Patris, ideò filius in diuinis non potest dici effectus Patris. Deinde causa debet influere in aliud, at pater in diuinis, dum communicat esse filio, non dicitur influere in aliud, quia filius non est aliud à patre, licet sit alius; Aliud enim denotat essentiam numero diuersam, sed alius personalitatem tantum diuersam.

Aduerte non esse idem dicere causam per accidens, & causam accidentalem; nam causa per accidens non est vera causa, vt dicitur de

casu & fortuna; causa verò accidentalis est vera causa, quia per se influit in effectum; sic calor qui est accidens, causæque accidentalis, per se producit calorem in ligno; quare causæ accidentali conueniet dicta definitio, non verò causæ per accidens.

Quoad secundam, scias causalitatem, seu causationem in vniuersum nihil aliud esse, quam influxum illum, seu concursum, medio quo causat causa, producitque ipsum effectum v. g. in ipso igne ille influxus, quo medio influit in calorem, dicitur causalitas, estque veluti medium inter entitatem causæ, & effectum, estque illud, quo causa fit actualiter causa, loquendo de causalitate in actu secundo, nam causalitas in actu primo est ipsa causæ entitas, quatenus est potens producere effectum. De causalitate verò cuiuslibet causæ in particulari dicitur, dum de qualibet causa in particulari erit sermo.

Quoad numerum causarum aduerte ante Aristotelis tempora communiter Philosophos vnam solam admisisse causam, quam dicebant materialem: quidam tamen ex illis nonnullam habuerunt de efficiente notitiam, vt Anaxagoras, Plato verò sex ponebat; nam præter quatuor communes, exemplarem, & instrumentalem tanquam diuersa causarum genera constituebat, Medici verò quandam causam, quam continentem vocant, ponunt, eamque videtur de sumpsisse à Stoicis dicentibus tantum esse duplicem causam, materialem, & continentem, de qua re legi potest Iacobus Scheykius *opusc. de causæ continente*.

His tamen omiſſis constans Philosophorum, & Theologorum sententia est non dari neque plura, neque pauciora, quam quatuor causarum genera, suntque causa materialis, & formalis, quæ duæ vocantur causæ intrinsecæ: quia essentialiter constituunt compositum. Tertia est causa efficiens. Quarta finalis, & hæc duæ vocantur causæ extrinsecæ, quia non constituunt intrinsecè compositum.

Sufficientia, & necessitas dicti quaternarij causarum numeri probari solet à Philosophis duabus præsertim rationibus, quarum, prima est. In omni re naturali reperiri debet id, quo res est id ipsum, quod est, & hoc vocatur forma, quia per formam res est id, quod est: sic per animam homo est homo, at quia forma, cum sit actus, respicit potentiam, ideò præter formam debet poni potentia, nempe materia prima; ergo præter causam formalem danda est causa materialis: sed quia forma non semper est actus, vt ex potentia ad actum reducat, requiritur aliud quod agens, proindeque causa efficiens. Demum quia natura nihil facit frustra & temerè, sed omnia cum intentione, scopo, & fine, ideò debet poni causa finalis, nec potest alia causa excogitari, quæ ad prædictas non reducat.

Secunda: Tot debent causæ assignari, quot sunt modi diuersi Interrogandi, & Querendi causam alicuius rei: sed sunt quatuor modi, nec plures. Probat, quia quærimus ad quid res fiat? cui interrogationi Respondemus per causam finalem: secundo ex quo res fiat? & responderetur per causam materialem. Tertia à quo fiat? cui responderetur per causam efficientem. Denique

Num. 2.
Quid sit
causa cau-
salitas?

Num. 3.
Determina-
tur quatuor
numeri cau-
sarum in-
ternarum.